

## **Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum**

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1734**

Quæstio II. An casu, quo filius moreretur sine legitima prole, ad successionem in feudo admitti deberet filia primi acquirentis, vel an feudum aperiretur Domino directo?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

feudi solvendam conjugis secundæ ad à neutro, specialiter à filio hærede,  
dies vite statui, etiam irrevocato & impugnari justè, minus everti una  
Domini & filij consensu, cāmque quam posse coram æquo Judice.

## QUÆSTIO II.

In casu, quo filius moreretur sine legitima prole, ad successione in feudo admitti deberet filia primi acquirentis, vel an feendum aperiretur Domino  
Directo?

### Rationes dubitandi.

Pro Domino contra filiam r. pugnat prima Investitura, in qua captum est, ut exclusis foeminae, ut ut propinquis, non aliis succedat, quia masculus hæres primi acquirentis in linea descendente, & hujus heredes, primo masculi, & in eorum defectu etiam foemina, ex eodem descendente; nam sic habet: das erwähntes Gut allzeit / und so lang Nd. ein Mannlicher Erb von Be- homößtem unserem Vasallo in linea descendente verhanden / verbleiben sole. Ex quo apparet, in prima statim Investitura, ex qua præcipue & principaliter natura feudi defumus debet, velut ex norma & quasi lege. Text. & DD. in 2. feud. 18. Borchold de feud. t. 1. n. 25. ubi plurimas adducit authorities, ne quidem mentionem esse factam filiae primi acquirentis, sed solum hæredis masculi,

& ex eo descendantium in linea regta; atqui filia primi acquirentis non est hæres masculus, nec respectu fratris Friderici, qui successit, & hujus filij, qui post investituram obtentam ante patrem fatis concessit, est in linea descendente, sed in collateralis: ergo ad succedendum vocata & habilis non est, cum feendum quæstionis non absolute mutatum sit in foemineum, sed limitate & cum restrictione ad primi vasalli legitimos hæredes masculos in linea descendente, & ad horum filios (& filias deficientibus filijs) linea descendenter. Si autem nullus amplius hæres, in prima conventione & feudi constitutione vocatus, superest, feendum aperiri Domino, notissimi & tralatitij Jūris est.

2dō A prima non abludit altera Investitura, quam filius Friderici,

B 2

&

& respectu primi acquirentis nepos  
(licet maturo fatō autē parentem  
modò jam sublatuſ) à Curia Feu-  
dali impetravit, cui inserta cerni-  
tur hæc notabilis clausula: Und  
wo dessen Mann- und Weiblicher  
Stamm ganz erloschen / dises Gut  
N. samt allen dermaligen Zu- und  
Eingehörungen dem Lehens-Herrn  
zuefallen solle.. Notetur relativum  
dessen, ex quo utique inferendum  
est, non alteri, quam investiti de-  
scendentibus masculis primū, dein  
feminis quoque, jus succedenti  
competere: quos oranes cūm mo-  
dò necesse sit desicere cum investito  
jam demortuo sine omni descen-  
dente, feudum ad dominum, ubi  
Fridericus, modò carens omni pro-  
le, decesserit, reverti necesse est  
juxta claram Investituræ litteram.  
Idipsum

3tiò Agnovit ipsem prīmus  
acquirens, nuper defuncti nepotis,  
& jam eventualiter investiti, avus,  
dum in suo testamēto eundem vo-  
cat unicūm in feudo successorem,  
dass Er der einzige und respectivē  
Universal - Erb / successor / und  
Lehens-Folger seyn soll und bleiben.  
Hæc tam diserta confessio primi ac-  
quirentis, qui utique quam optimè  
noverit, quo pacto & ratione, & pro  
quibus personis, successio in feudo  
convenia fuerit, suum nepotem

agnoscētis pro Unico successore,  
rem plane videtur confidere & evi-  
cere, filiam suam ad succedendum  
non fuisse vocatam. Id quod Juri  
Communi feudali omnino consta-  
taneum est, siquidem

4tò Doctores communiter ex  
Jure Feudali concludunt, feminam  
semel a masculo in successione te-  
di exclusam semper manere exclu-  
sam, & amplius non admitti, La-  
tè Bocerus in tract. de feudi Succeſſi, t.  
3. q. 4. Knichen tract. de restitu-  
tationibus c. 3. n. 301. seqq. Henric  
a Rosenthal tract. feudal. c. 7. Cons.  
44. n. 17. ubi refert præjudicium  
Cameræ, & sententiam contra fi-  
lias primi acquirentis, per fratres se-  
mel exclusas, latam 22. Jan. 1590.  
Textus in 1. feud. tit. 6. §. 1. sic ha-  
bet: si quis eo tenore feudum accepit, et  
eius descendentes, masculi & feminine, li-  
tud habere possint, reliquo masculo ultima  
femina non admittuntur. Licet igitur  
(per inconcessum) transmittetur,  
filiam primi acquirentis initio ad  
succedendum esse vocatam,  
nunc tamen, postquam semel a fratre  
Friderico fuit a succedendo im-  
pedita & exclusa, pro semper exclu-  
sa habenda, & eius jus penitus ex-  
tinguum esse credendum & tenen-  
dum foret.

## Rationes decidendi.

Allatis hucusque nec quicquam obstantibus pro filia contra Dominum decidere nullus dubito tum ex natura hujus feudi in foemineum ex oneroso pacto conversi primaeque investitura contextu , tum ex Jure Communi feudalii.

Primum itaque argumentum deduco ex qualitate hujus feudi , quam induit , dum ex feudo masculino ei iusigne Auctarium ex bonis allodialibus vasalli , prædio feudi liberaliter adiectis , cum consensu Domini migravit in foemineum , ibi ea lege , ut in remunerationem tam liguis meliorationis posthac in hoc feudo succedat vasalli , respecte primi acquirentis sub hac conditione , non solum stirps masculina , sed etiam foeminea , ex eo legime descendens ; quam qualitatem recent superadditam manifeste exprimit prima Investitura , quæ omnino pro norma & lege deinceps habenda & principaliter attendenda est . 2. F. 18. Investitura sic sonat : Wie Leihen ihme ( Friderici patri ) hiermit und in Craftz dieses Briefs / obgedachtes Gut N. sambt allen dessen ein- und Zugehörungen / was vor ihm / und seinen Mannz und NB. Weiblichen Ehelichen Erben und Descendenten von Rechts wegen daran verleyhen sollen und mögen / jedoch mit diesem ausdrücklichen Reservat und Vorbehalt / das

ernanntes Gut N. wie es vorher zum Theil unser Manns- Lehen gewesen , und wegen mit Auftragung des Eigenthums in Söhnen und NB. Töchter - Lehen verwandlet worden / allzeit und so lang ein Männlicher Ehelicher Erb von offtbenambstem unserem Vasallen in linea descendentis vorhanden / verbleiben solle / daß sich der Weibliche Stamm in eadem linea , er mag auch so nahe sein / als er will / dieser Lehen Succession nit anzumassen , und wo dessen Mann- und Weibliche Stammen ganz erloschen , dices Gut N. uns zufallen solle.

Ex hoc jam contextu probè notari velim sequentia verba . 1. Ihme und seinen Mann- und Weiblichen Ehelichen Erben und Descendenten : Atqui filia vasalli , qui sub hac qualitate feudum primus acquisivit , utique & innegabiliter est foeminea & legitima ( utpote ex legitimo thoro suscepta ) hæres ac descendens : etgo etiam , casu quo deficiunt masculi hæredes legitimi , in dicto feudo succedens , consequenter pro hoc casu , in quo versamur , diserte ad successionem vocata , & à Domino admittenda est . 2. Wegen mit Auftragung des Eigenthums in Söhnen und Töchter - Lehen verwandlet worden . Quid hoc aliud est , quam filias primi acquirentis , ex titulo oneroso , & in com-

pensionem bonorum allodialium, à Vasallo adjectorum habilitare ad feudum, & iis succedendi jus tribuere, nimirum post filios, & horum descendentes masculos, non amplius extituros; qui casus propter diem creditur eventurus? Quid enim aliud denotant verba, Söhne und Töchter - Lehens / quām filios & tum filias agnoscere aut reddere capaces succedendi? In bonis allodialibus, quae pater vasallus in notabili quantitate adiecit feudo, utique successissent etiam ipsius filii: ergo incredibile est, quod ipsas patrem voluerit excludere à successione, postquam ea cum feudo cumulavit, & tantum ad illam admittit neptes ex filio descendentes; cum utique plus censeatur diligi filiae quām neptes, & illæ ante has admittendæ secundum Jura feudalia. 2. f. 50. § Paternus, & 55. §. Praterer. Facit quoque Nov. 118. c. 3. in f. Bocerus de Investitura feudi. c. 5. n. 64. §. Ad huc. Et utique filiarum nomine non minus veniunt propriæ soboles sexus foeminei, ac neptes. per l. si f. l. us. §. cūm filius. ff. de bonis liberti. l. 3. ff. de acquir. hæred. l. si plures ff. de jure delib. l. cūm ita. §. in fidicommisso. & ibid. Brunem. n. 3. ff. de Legat. II. Vulteius de feud. l. 1. c. 9. n. 202. Proin prudenter innegabile est, filiam primi acquirentis cum nova qualitate feodium jure succedendi in eventum deficiens lineæ masculinæ omnino gaudere, nec excludi a Domino posse. 3. Und wo des-

sen ( primi vasalli, cuius filia adhuc superest est ) Mann und Weibz Stammes ganz erloschen / dises Gut N. uns ( Domino directo ) zu fallen solle. Ex quibusiterum man- facte appetet Domino hoc feudum non aperiri, nisi sub conditione & in casum, quo non solum stemma masculinum, sed & foemininum ( hoc est, tam filia quām filii, eorumque descendentes ) penitus ac totaliter fuerit extinctum: atqui, quantu- diu superest filia, dicta conditio non est purificata, neque casus ille evénit, seu stemma & stirps, foemi- na quoq; non totaliter est extincta: ergo, quāndiu dicta filia superest, Domino feudum aperiri, & illa ex- cludi, non potest, sed potius post Friderici sine masculo hærede dece- dentis mortem investiri debet. per l. 50. & 55. feud. 2. non minus, ac si pro- les mascula superesset; siquidem in feudo, pro foeminis & filiis 2. quæ, ac pro masculis & filiis hæredi- bus, erecto foemini, ubi deficiens masculi, locus ad succedendum fi- eri debet. arg. à contrario l. feud. 8. ibi: filia non succedit in feudo, nisi investi- tura fuerit facta in patre, ut filii, & filia suc- cedant. & tñ. 50. cit. ibi: filius pati succedit, & non filia, nisi ex pacto, vel n- sis sit foemineum. Rittershul. parati. feudal. cap. 14. n. 3. & alij passim. 410 mit dñiem ausdrücklichem reservat und Vorbehalt das ernannte Gut-all- zeit / und so lang ein Männlicher Ehelicher Erb in linea descendenti vorhanden / dergestaltten verbels-

ben solle, daß sich der Weib's-Stamn  
in eadem linea, er mag auch so na-  
he seyn, als er will, vider Lehen-Succe-  
sion mit anzumassen. Ergo, quando  
contingit nullum amplius hæredem  
masculum primi valalli in linea des-  
cendentia superesse, superest autem  
hares foeminae in linea descendentiæ,  
hære seudum prætendere vi pæcti po-  
tentiæ in hunc eventu, quo descen-  
dentes masculi deficiunt, descendentiæ  
tercimina haud obscurè sunt vocatæ.  
Hartm. Pistor. p. 2. q. 36. Facit  
l. 4. art. lex. ff. de divorci, nam cœstan-  
te causa impedimenti & exclusionis,  
quæ fuit descendens masculus, cœsat  
ipsum impedimentum & exclusio-  
nem, et si contra. C. de Nuptijs. Me-  
noch. Conf. 331. n. 51. 53. 54. Pro-  
fecto si aliter accipiuntur verba in-  
vestituræ, illis vim fieri, & Inve-  
stituræ quasi per violentiam eva-  
cari manifestum est, ita ut nun-  
quam stirps foeminea, der Weib's-  
Stamn / & legitimæ primi acqui-  
tentis filie, earumque descendentes  
ad hoc seudum aspirare potuerint,  
nec unquam ipsis patéret accessus &  
prætenio, quod evidenter est contra  
voluntatem contrahentium, in  
Ehren und Töchter's Lehen illud  
convertentium. Vid. VVesenbec.  
de Feud. c. 6. §. sed an foemina.

Argumentum 2. sumitur ex ipso  
Iure feudali, vi cuius, sicut seudum  
concedatur pro se & filiis masculis,  
& steminis, filiæ & descendentes  
foemina succedunt quidem, at non  
simul cum masculis, sed successivè

deficientibus masculis, ut habet clausus  
texus in 1. f. 8. v. filia, ibi: filia vero  
non succedit in feudo, nisi investitura fuerit  
facta in patre, ut filij & filiæ succedant in  
feudum (tunc enim NB, succedit filia si-  
lijs non extantibus) Concordat textus  
in 2. f. 1. ibi: proles enim foemini sex-  
us, vel ex foemineo sexu descendens, ad hu-  
jusmodi successionem aspirare non potest:  
NB. nisi ejus conditionis sit seudum, vel eo  
pacto acquisitum: Sed hoc seudum ea  
conditione est acquisitum, & inve-  
stitura sic data, ut foemina in linea  
descendente, nimis filia (vel  
neptis &c.) non extantibus filiis suc-  
cedat: ergo. Unde & illi Docto-  
res, qui tenent, foeminae semel  
exclusam semper esse exclusam, à  
sua doctrina faciunt hanc exceptio-  
nem, nisi per investitaram aut pa-  
ctum foemini concedatur successio.  
VVesenbec. lo. cit. cum Hartm. Pi-  
storio, Julio Claro &c. qui ultimus  
q. 80. n. 2. asserit, foeminae, quam-  
vis semel exclusam, deficientibus  
tamen masculis succedere, si seudum  
est foemineum, à nemine negari:  
ergo à fortiori semel exclusa, defi-  
cientibus postmodum masculis, suc-  
ceder, si juxta tenorem investituræ  
post mares expressè admittatur; cùm  
hujusmodi investitura faciat. feudu  
foemineo simillimum, & Jus feu-  
dale in jure succedendi illud æquipa-  
ret foemineo. per texus cit. Atque hinc  
testebeloldo Conf. 265. n. 37. 38. 29.  
præfati DD. omnino omnes suam  
doctrinam, quod foemina semel exclusa  
maneat semper exclusa, inter alia sic limi-  
tant:

tant: Wann die Lovestitur mit ein anders mit sich bringt / und unter solcher condition gesellet worden / daß wann der Manns- Stamm er-

loschet / das Lehen den Töchtern gelyhen werden solle / sicut plane hoc feudum sub dicta conditione concessum est.

### Respondetur ad Rationes dubitandi.

**Q**uantumvis ex omnibus ex hoc usque allegatis & probatis omnem vim amiserint, juvat tamen ad singulas in particulari adhuc respondere. Ad 1. hoc ipso, quod feudum questionis conversum sit in foemineum suo modo, in Söhnen und Töchtern Lehen, evidenter & filii primi acquirentis ad successionem vocatae sunt, non quidem primario & cumulative, sed secundario & post masculos heredes extintos; quamdiu unus ex masculis supererat, utique non poterat filia primi acquirentis ad feudum aspirare, ut ut vicina fuerat acquirenti vel successori, his verò extintis absque herede masculo regressus patet filiae primi acquirentis, utpote disertis verbis in hunc eventum vocatae, cum exclusione Domini, cui apertura solum pro casu reservata per pactum est, ubi masculi & foeminæ in linea descendente, seu stemma tam foemineum quam masculinum penitus fuerit extinctum, wann der Manns- und Weib's- Stammen gangherlos schen: qui casus necdum evenerit, dum adhuc supererat filia primi vasalli, quae utique respectu hujus est in linea de-

scendente, & sic jus succedendi conditionatum acquisivit; cui minimè obstat, quod respectu Friderici fratris sui, & hujus filij, sit in linea collaterali, & quidem ascendentis respectu posterioris, siquidem ius succedendi non acquirere intendit statre suo, hujusque filio, ultimo investito, & jam demortuo, sed a patre suo, qui primus acquisivit feudum sub pacto, ut & filii succedant; nam à solo primo acquirente totum ius succedendi fieri in masculos, ita his deficientibus in filias descendit, per textum in t. f. 1a, §. 1, ibi: si vero unus ex his filiis, vel non potius, sive descendantibus masculinis sexu heredibus, mortuus fuerit, predicti fratres vel nepotes per investituram patris & avi in beneficium succedant: & similiter intelligendum in consobrinis. Et §. 2. in fine: sic per pactum filia succedant, Bebold. Cons. 265. n. 19, 20, ubi ait, vulgo receptum esse, quod succeditur in feidis primo acquirenti, non ultimo possessori. Illud proflus mirabile mihi videtur, quod Adversarij admitterent filiam ultimi successoris, siqua superesset, nolint vero admittere filiam primi acquirentis,

quasi verò filia primi acquirentis non sit inter eūs hæredes descendentes, senn Mann- und Weiblichen Ehelichen Erben und descendanten, quos omnes vocavit suō modō ad successionem, & quasi durch ein Döchter Lehren neptibus quidem, at non siliabus, consulere voluerit prima acquirens, & has minus dixerit ac illas; quod planè foret contra rectam rationem, naturalem instinctum, communem perfectionem, & Investituræ tenorem, verborumque genuinum sensum.

Ad 2. quæ æquè inefficax est ac prima, imprimis aio, secundam investitaram ita accipiendam esse, ut à prima, quam aperte pro filia primi valalli contra Dominum militare demonstratum jam est, non ablutat, sed eidem consensiat, adeò quidem, ut si in præjudicium juris jam alii per primam acquisiſti aliquid contingeret vel omittaret, quoad tale punctum pro erronea, nulla, ac invalida, consequenter pro nullatenus præjudicioſa aliis, per primam ius succedendi jam adeptis, habenda foret. VVelenbec. Conf. 41. n. 104. f. 6. Besold. p. 6. Conf. 281. n. 5. 6. Klock. Conf. 182. n. 106. seqq. qui n. 110. addit: hinc, si investitura prima concepta sit in feminas & masculos, etiam si multis renovacionibus factis masculi tantum vocati facint, tamen hæc posteriores investiture non derogant primæ, sed feminas iis non obstantibus casu fe-

( R. P. Pichler Decis. T. 2.)

rente admittendæ sunt. Bald. Curt. Jun. Schrad. Sichard. Gail. 2. Observ. 49. n. 3. & alii innumeris: ita ut nec supremus Princeps præjudicare possit jam ius quælitatum habentibus, uti habet filia primi acquirentis in nostro casu, in feudum sene Mann- und Weiblichen Ehelichen Erben und Descendanten vocantis cum consensu Domini. Dein etiam secunda hæc investitura non male conciliatur cum prima, si dicatur, verba, wordesssen Mann- und Weiblicher Etatim ic adjecta fuisse ex supposito, quod filia primi acquirentis, utpote ætate jam provectionior, fatis interea concesserit, quando frater ejusque descedens non relicto hærede diem supremum claudet. Si vero contenderes, in hoc sensu accipi non posse alteram investitram, pariter ego contendarem, uti jam probavi, eam nulliter aliquid apposuisse in præjudicium primæ, & juris inde quæstui filiae primi acquirentis.

Ad 3. probè notandum est, quod primus acquirens in suo testamento ex filio suo nepotem prætererit quidem filiae, quæ sola tum supererat ex foemineo sexu suorum descendantium, cùmque für den ainstigen Lehren Folger declaraverit, sed notanter hanc adiecerit limitationem: es wäre dann / daß auch dieser ohne Männlichen Lehens Folger mit tots abgehen sollte. Quid hoc aliud dicit, quam quod filiam suam non excludere intenderit pro

C casu,

casu, quo ipse etiam nepos sine virili prole legitima mortem oppeteret; qui casus cum modo evenerit, vel proxime eventurus exspectetur, nepotem suum pro his circumstantiis pro unico successore utique non habuit, nisi quamdui viveret, sed potius filiaz sua secundum pacta conventa & primam investituram locum & ingressum in feudum reservavit post ejus sine herede masculo obitum; pro quo eventu nec in ejus amplius potestate extitit filiam suam excludere, utpote jus quodcumque jam habentem. Et sic ista dispositio testamentaria propter dictam clausulam limitantem potius pro quam contra meam decisionem pugnat.

Ad 4. quae adstruit, scemnam semel à feudi successione exclusam semper & pro semper manere exclusam, observo imprimis, hanc sententiam in thesi à multis & gravibus Auctoribus quidem defendi; oppositam tamen, quam non modo plurimi ex antiquis, uti Richard. Volzius, Sonsbeccius, Cuiac. Socin. Jun, Bero, Vulteius, Fulgos. Mantica, VVesenbec, aliisque, ex recentioribus verò forte major pars DD. cum Struv. Strick, Heigio, Cancellario Schmid melius propugnant, semper mihi visam esse veriorem, eamque Vult. vocat humaniorem, VVesenbec, verò de Eud. e. 6. n. 23. pronuntiat, illam in consulendo & judicando sequendam esse. Sed quidquid sit de hoc,

ulterius tamen observo, quod pri-  
roni sententiae mihi contraria eam  
diversimode limiperent, atque fatean-  
tur, scemnam semel exclusam non  
semper manere exclusam i, quando  
feudum est fœmineum. 2. quando  
fœminæ in prima investitura (ut  
in nostra facti contingentia) per  
paustum vocata sunt in evenum de-  
ficientis stirpis virilis. 3. quando  
investitura continet has vel similes  
yoces reservatiyas, donec, quando  
so lang (sicut iterum in præscn.  
contigit) masculus fuerit superstes.  
4. quando feudum est hereditarium  
id quod verillimum esse ait Meno-  
chius Cons. 331. n. 51. Vid. Vulteius,  
§4. Besold n. 37. seqq. & signanter ad  
hunc casum Rosenthal de feud. 6. 7.  
Cons. 45. & n. 15. Proin, licet am-  
plecti placaret sententiam meæ op-  
nioni adversantem, & transmitta-  
retur, eam esse veram in thesi, in  
præsenti tamen hypothesi nega-  
juxta suos patronos procederet.

Cæterum ulterior hic moveri  
questio posset, an in hoc, in Söhns  
und Töchter Lehren converso teu-  
do, ad successionem admitti debe-  
rent liberi filiarum primi acqui-  
tatis, seu filij & filiaz filiarum, sive ne-  
potes descendentes ex filia primi ac-  
quirentis. Verum, quia iste casus nec  
dum evenit, nec super ea futu-  
rogatus, hac questione supercedeo,  
quam tamen negativè resolvit om-  
nino solide laudatus Rosenthal 6. 7.  
q. 42. Rechè proin sibi consulet Do-  
minus directus, si postmortem filia  
primi

primi vasalli , quam pro nunc ipsi  
prahabui , sibi invigilet , atque repul-  
li filii filiis & quæ ac filiabus hoc feu-

dum tanquam sibi apertum revocet ,  
& pro aperto se habere declareret .



# TITULUS XXI.

De Pignoribus & aliis Cautionibus.

## DECISIO XCIX.

De Hypotheca , quam uxor habet in bonis Mariti ,  
ejusque privilegio .

### SPECIES FACTI.

**F**ranciscus in quodam Bavariae oppido civis satis honoratus ex duabus successivè uxoriis duas moriens reliquit proles , filiam ex priore , cui assignaverat 1000. florenos pro legitima materna , tum ex dote 700. florinorum tum ex paraphernis 300. florinorum , quos illa prior uxor sibi attulerat ; ex posteriore autem filium , quem uti & filiam , atque conjugem secundam , in æqualibus

partitionibus instituit heredes , sed ita , ut conjugi secundæ instar prælegati pro dote , quam in testamento illatam fuisse testabatur , ac simul pro acquæstibus , dari voluerit 1000. fl. Post mortem ipsius præter exspectationem etiam alii duo credidores hypothecarii comparuerunt , ita ut dubium iungens natum sit , an omnibus præstari solutio possit ex bonis à Francisco relictis . Et hinc

C 2

Quæ-